



• S • G • B • T • B •



• T • G • G • T •



z. B. A. h

W. A.

J. q. 259.



29
COLLEGII SECUNDI
In Augustanam Confessionem

DISPUTATIO XIV.

continens

ANTIΘΕΣΙΝ ARTICULI IV.

DE QUÆSTIONE

QUO MODO SO-
LA FIDES JUSTIFICET.

Proposita

In inclutâ Electorali Academia VVittebergenfi,

PRÆSIDE

JACOBO MARTINI, SS. Th.

D. & Profess. Publ. Primario, Facult. Theol.

Seniore, ac Templi Arcis Præposito:

RESPONDENTE

M. JOHANNES POLTZIO,

Thermis-Carolinis - Bohemo.

Habebitur in Auditorio Collegii Veteris

Ad diem 13. Decembr.

WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum SALOMONIS AVERBACH, Acad. Typogr.

ANNO M DC XXIX.

COLLEGI SECONDI
In Augustana Confeſſione

DE QUARTO
ARTICULO
CONCORDIAE

QUOMODO
LA FIDES IUSTIFICET

Inclusa in Opera Academiae Vindoburgensis
P R E S I D E

JACOBO MARTINI SS. TH.
D.كتور. Publ. Professor Facult. Theol.
Seniore, et Capl. Aca. Vindob.

RESPONDENTE
M. JOHANNI WOLFFIO

Thesaur. Collegii Carolini
Bibliothecarius in Universitate Vindoburgensi
Abbas in Disput.

WITTEBERGAE
Typis Heroldi SALOMONIS A. WITTEBERGAE
ANNO M. DC. LXXIX.





Continuatio.

ATque sic disputatione præcedente monstrosas *Φλυαείας* Becani, quibus orthodoxam nostram *de solâ fide Justificante* sententiam conspurcare attentavit, vidimus, examinavimus, & gladio Spiritus Sancti confodimus; consequens nunc est, ut ejusdem Sophismata, quæ contra *modum, quo sola fides justificare nobis dicitur*, objicit, assumamus, ad trutinam Verbi divini appendamus, & quàm fraudulenter nobiscum agat, in aprico ponamus. Deus porro sui Spiritus gratiâ, qui nos in omni veritatem ducat, elementissimè adit, ut ipsi grata, & nobis ac universæ Ecclesiæ salutaria dicamus, faciamus.

THESES.

I. Becanus §. 10. quæstionis 6. hanc disputationem his orditur verbis : *Hac de solâ fide justificante. Sequitur DE MODO, QVO SOLA JUSTIFICAT.* Igitur adversarii docent solam justificare, quia sola apprehendit justitiam Christi actualem, quâ justificamur. At quomodo id facit? Hoc explicant duplici similitudine; alterâ a manus, alterâ a olla. Nam sicut manus pauperis apprehendit elemosynam à divite porrectam, ita fides peccatoris apprehendit justitiam Christi, à Deo Patre oblatam. Item, sicut olla continet in se thesaurum, & hâc ratione hominem locupletat; Ita fides comprehendit justitiam Christi, & sic hominem justificat. Priori similitudine usus est Philippus Melancthon in locis communibus, titulo de bonis operibus, in dilutione argumentorum, & Kemnitius in examine

mine Concilii Trident. sess. 6. Posteriori utitur Calvinus lib. 3. Instit. cap. xi. §. 7. his verbis: Fides, etiamsi nullius per se dignitatis sit, vel pretii, justificat nos, Christum adferendo sicut olla pecuniis referta hominem locupletat. Hinc apparet, quid sit fides illa Calvinistica justificans, toties laudata, toties defensa, toties simplici vulgo obtrusa & inculcata. Quid ergo est? Olla fœtilis, scabiosa manus pauperis. Rident Catholici doctiores, quando hæc audiunt, & merito. Solent enim adversarii apud imperitos jactare, fidem in Scholis Papistarum vilescere, nullo loco haberi, passim contemni, omnia tribui operibus; fidei partem aut nihil: Apud suas verò, fidem esse in honore; omnia illi tribui; operibus nihil. Verba, nugæ, fraudes. Quis obsecro, plus tribuit fidei, Calvinus, qui dicit esse ollam fœtilem, nullius pretii, & dignitatis; an Catholici, qui dicunt esse basin, fundamentum & radicem justificationis? Stolidus sit, qui hoc non videat.

II. Primum negamus ex illis similitudinibus rectè & perfectè definiri, vel etiam intelligi, quid sit fides salvifica: neque etiam ab allegatis autoribus in eum finem adducuntur: sed primum ut modus apprehendendi meritum Christi, in ipsâ definitione & essentiali declaratione fidei, contentus, illustretur. Nam, quæ omnium similitudinum ratio & ingenium est, non tam probant, quàm illustrent. Deinde ut intelligatur, quo sensu fides dicatur justificare: non ita ut ipsi aliqua tribuatur virtus, quæ effectivè justificationem vel mereatur, vel impetret, vel inchoet, vel absolvat, sive etiam formaliter ipsam justificationis internam rationem ac naturam constituat, sitque ipsa justitia, hominem justum informans & denominans. Non sanè: Sed se habeat tantum instrumentaliter, & ut medium, quo vera causa meritoria, impetrans, inchoans, absolvens, & sic efficiens & constituens justificationem & justum hominem, applicatur: haud secus ac manus mendici se habet ad eleemosynam, nihil ejus merens, constituens, efficiens &c. Sed tantum apprehendens illam; & olla ad thesaurum, qui illam tantum offertur & accipitur. Et tandem ut pusillanimes consolatione excitentur & confirmentur: Ut enim agrotata manus æquè ac sana eleemosynam porrectam: ita æquè infirma fides ac magna

magna meritum Christi apprehendit. Stulti & à pietate verà alieni hæc rident, non prudentes ac fideles Christiani.

III. Impudens enim figmentum est, Verba sunt (ut in ipsum Becanum calumnias in nos effutitas retorqueamus) nugæ, fraudes, nos statuere, *fidem esse ollam, esse mendicam manum*, hoc est, rem nauci, nullius pretii, aut dignitatis, imò nihili. Nam nos Lutherani, quando fidem cum mendici manu conferimus, non similitudinem in eo ponimus, ut quemadmodum pauper ubique jacet, ab omnibus est contemptus, in nullo est pretio: Ita quoque fidem nullius pretii aut dignitatis æstimamus: Hæc sanè nequaquam nostra mens est: Imò dicimus potius, quòd in eò sit maxima dissimilitudo inter mendici manum & fidem; Similitudinem ergò in eo esse asserimus: quòd, quemadmodum mendici manus, nihil meretur eleemosynæ, nihil etiam ejus efficit, producit &c. Sed tantùm apprehendit oblatam: sic quoque fides nihil efficiat Justitiæ nostræ in Justificatione, nihil mereatur, nihil inchoët, nihil absolvat; sed duntaxat, justitiam ac meritum Christi in verbo oblatum apprehendat.

IV. Idem sentiendum de alterâ similitudine ab ollâ desumptâ. Nam licet Calvinus his utatur verbis, quòd *fides sit nullius per se dignitatis vel pretii*, id tamen non dicit in comparatione ad ollam, sed ad Christum, quem apprehendit, & quatenus non vas, sed thesaurus, vase contentus, locupletat. Quod ex ejusdem verbis, proximè in eodem §. præcedentibus est clarum & perspicuum: *Propriè loquendo, inquit, Deum unum justificare dicimus; demde hoc idem transferimus ad Christum: quia datus est nobis in justitiam: fidem verò quasi Vasi conferimus: quia nisi exinaniti ad expetendam Christi gratiam aperto animæ ore accedimus, non sumus Christi capaces.*

V. Non autem in Lutheranorum sed Pontificiorum Scholis fidem vilescere inde apparet, quod hi negant fidem esse notitiam, negant esse fiduciam: & contra affirmant, esse ignorantiam, esse dubitationem, Lutherani verò fidem dicunt cum

Apostolo intimam notitiam, fiduciamque & certam animi de salute persuasionem, Rom. 4. v. 21. Col. 2. v. 2. Heb. 6. v. 11. plenam fiduciam, Rom. 8. v. 38. 2. Cor. 3. v. 4. Eph. 3. v. 12. ὑπόστασιν καὶ ἔλεγχον, immortam basim, indubiumque argumentum, Hebr. 11. v. 1. παρρησίαν, quae sine omni metu confidat gratiae ac misericordiae divinae, Hebr. 3. v. 6. 1. Joh. 2. v. 28. Cum Luthero in cap. 15. Genes. quod fides nunquam sit sola, sed ducat secum chorum pulcherrimarum virtutum: quod sit ceu mater, ex qua soboles illa virtutum nascitur: & nisi prima adsit, non charitas, non aliae virtutes adesse possint.

VI. Pergit Becanus §. 11. Sed propius rem inspiciamus. Ait Calvinus solam fidem justificare, eo modo, quo sola olla locupletat hominem. Audio verba, non capio mysteria. Quero ergo, an sit causa effectiva justificationis? an meritoria? an dispositiva? an instrumentalis? an solum relative justificet? Hic plane inconstans & perplexus est Calvinus. Nunc hoc, nunc illud asserit, ubique incertus, ubique sui immemor. Proferam ipsius verba. Et quidem lib. 3. Instit. cap. 11. §. 7. sic ait: Fides est duntaxat instrumentum percipiendae justitiae. At c. 13. §. 5. Quoad justificationem, res est merè passiva, fides. Iterum c. 14. §. 17. Efficientem causam vitae aeternae nobis comparandae ubique Scriptura praedicat Patris caelestis misericordiam, & gratuitam erga nos dilectionem: Materialē vero Christum cum sua obedientia, per quam nobis justitiam acquisivit: formalem quoque vel instrumentalem quam esse dicemus nisi fidem? Et §. 21. Ut stet inconcussum, quod antea posuimus, effectum nostrae salutis in Dei Patris dilectione situm esse: materiam in filii obedientia: instrumentum in Spiritus illuminatione, hoc est, fide: Et in antidoto Concilii Tridentini sess. 6. ad Can. 9. Solam fidem justificationis causam esse intelligimus. Et ad Can. 11. Vim justificandi ac facultatem fidei in solidum vindicamus. Quid ex his colligimus? Nempe, fidem esse causam justificationis. At quam causam? Nunc formalem, nunc instrumentalem, ut vis. Ergone aliquid efficit fides in negotio justificationis? Minimè, sed merè passive se habet. Quomodo merè passive, si instrumentum est: Hoc tu videris? Satis est, Calvinum hoc asserere.

VII. Primum respondemus, mysteria haec intellectu sunt facilia,

cilia, quando nostra sententia rectè intelligitur. Sic omninò dicere possumus: Hæc olla hominè locupletabit; nempe de ejusmodi ollâ, quæ auro est repleta. Quod v. non ita est accipiendū, ac si virtutē locupletandi ipsi ollæ, per se consideratę ac sumtę, tribuendam esse statuamus, sed quia in se hanc virtutem habeat contentum aurum: Sic fides dicitur justificare, non sua Virtute, sed virtute meriti Christi: quod apprehendit. Propriè ergò non fides, sed meritum Christi justificat: atque hoc est quod dicimus, fidem relativè justificare.

II X. Sæpius ergò inculcavimus fidem non esse causam effectivam Justificationis, neque meritoriam, neque dispositivam: sed instrumentalem, & tantum relativè justificare; Idemque nobiscum dixit Calvinus: cur ergò quærit, & inconstantia accusat? Sed audiamus probationes.

IX. Primum probat statuere Calvinus, *Fidem esse instrumentum percipiendę justitię*: Quod sanè credidisset etiam sine tali probatione. Sed contradictionis Calvinus convincere satagit: qui alibi dicit *fidem esse rem merè passivam*. Sed nulla est contradictio. Aliter enim consideratur fides in actione, nempe ut percipit justitiam Christi: sic instrumentaliter se habet, & tuo modo agit fides: aliter deindè consideratur fides, respectu actus justificantis, & quoad justificationem ipsam: Sic non agit, sed potius patitur: Ut enim homo est in justificatione subiectum merè passivum: sic quoque omnia, quæ hominis sunt, sive jam sit fides, sive quicquid sit: sola enim justitia Christi, fide apprehensa, agit & justificat.

X. Atque hoc ipsum est, quod Lutherus in 15. cap. Gen. scribit, ac docet his ipsis verbis: *Scio reliquas virtutes esse singularia Dei dona: scio fidem sine hisce donis non existere. Sed questio est, quid cuius proprium sit, tenes manu varia semina, non autem quero quæ cum quibus conjuncta sint, sed quæ cuiusque propria virtus. Hic apertè dico, quod faciat sola fides, non cum quibus virtutibus conjuncta sit. Sola autem fides apprehendit promissionem: hoc proprium solius fidei opus est: relique virtutes alias habent materis, circa quas versantur. Concedit ergò Lutherus fidem agere apprehendendo promissionem: & hanc esse*

esse objectum fidei, in quod agat, ut cætera virtutes sua habent objecta, in quæ suis actionibus feruntur. Illam verò fidei actionem esse ipsam justificationem, fluentem ex virtute & efficaciam fidei, pernegat: fuit enim illa tantum ex Christo, & ejus merito, in promissionibus oblato: quod solum in se habet virtutem vivificatricem. Ut verbo rem comprehendamus: Fides quando apprehendit meritum Christi, se habet activè, & ut instrumentum: quando verò & quatenus homo justificatur, se habet passivè & relativè; non enim ipsa justificat, sed id in quod fertur.

XI. Videtur nihilominus adhuc contradictione involvi Calvinus, fidem faciens modò causam justificationis efficientem his verbis: *Vim justificandi ac facultatem fidei in solidum vindicamus: modò formam, quando expressè dicit, fidem formalem causam justificationis esse.* Verum non tam ad externum verborum positum, quàm internum intellectum, & quomodo Calvinus se explicet, est respiciendum. Quando fidem dicit *causam justificationis solam*: id dicit respectu aliarum virtutum: quæ hic planè quiescunt: Sola verò fides hoc agit: apprehendit promissionem, & in illâ ipsum meritum Christi, veram justificationis causam. *Formalem* deinde *causam* quando fidei tribuit, non intelligit nudam fidem, sed meritum Christi, (cujus imputatio causa formalis est justificationis) arctissimè apprehendentem.

XII. Paragrapho 12. repræhendit Becanus, quod Calvinus videatur diversos actus fidei facere; 1. apprehendere mortem & passionem Christi, seu justitiam ejus actualem. 2. credere promissioni divine. 3. promissionem sibi applicare ac statuere, omnia peccata sibi remissa esse propter meritum Christi. 4. Certe credere non posse excidere à justitiâ semel adeptâ. Ex his actibus, addit, quis tandem est, qui justificat? an unus? an plures? an simul omnes? Nihil certi apud Calvinum &c.

XIII. Respondemus: 1. Quartum actum nihil ad nos Lutheranos. 2. Quod cæteros attinet multiplicari illos à Jesuita præter omnem necessitatem; Includit quidem fides justificans

cans notitiam, assensum, ac fiduciam: nihilominus ut justificans est, unus actus est. Qui enim apprehendit, & eo ipso, quod apprehendit mortem & passionem Christi, credit promissioni divinæ: Et quando sic credit, certò statuit omnia peccata sibi remissa esse propter meritum Christi, ut sic unus actus alterum non excludat, sed potius includat, & arctissimè complectatur. Neque à Calvino diverſi recensentur: sed diverſis in locis diverſa duntaxat verba usurpantur, uno eodemque sensu retento.

XIV. Paragrapho 13. adducit duo loca, & circa illa duo exempla. *Luc. 7. v. 50. Fides tua te salvam fecit: Vade in pace. Et Luc. 8. v. 48. Filia, fides tua salvam te fecit: Alterum, (inquit Becanus) Magdalena, alterum mulieri fluxum sanguinis patienti dictum est. Utramq; volunt adversariè solâ fide justificatam esse. At ostendant nobis, utramq; habuisse omnes actus fidei supra enumeratos. Quomodo Magdalena sibi poterat persuadere, remissa sibi peccata, & habere Deum patrem propitium propter mortem & passionem Christi, cum adhuc nihil sciret de morte & passione Christi. Ipsimet Apostoli, qui procul dubio justificati erant, non credebant Christum passurum & cruci affigendum: ut testatur Lucas cap. 18. v. 31. 32. 33. & Matth. cap. 16. v. 21. 22. 23. Et tandem concludit Jesuita: Dicat nunc Calvinus, an Apostoli & Magdalena justificati fuerint fide? At non credebant propter Christi mortem & passionem sibi remissa esse peccata. Non apprehendebant actualem Christi obedientiam & passionem. Non erant certi, se perpetuò mansuros justos, alioqui Petrus postea non negasset Christum.*

XV. Ut *ὁ ἄγιος πνεῦμα* faciamus, ultimum nihil rursus ad nos Lutheranos. De eo cum Calvino transigat. Deinde Apostoli considerandi sunt in diverſis duobus statibus ac temporibus: Nempe primum ante solennem illuminationem: & deinde post illam.

XVI. Quid & quomodo crediderint Apostoli posteriore tempore ac statu, à Spiritu sancto solenniter illuminati, totus Orbis novit. Priore verò, quo versabantur his in terris cum Christo nondum illuminati, fides illorum vera quidem fuit, licet adhuc languida ac infirma. A Christo enim cum

B

inter-

interrogarentur Discipuli: Vos, quem me dicitis esse? Simon Petrus communi nomine omnium Apostolorum hanc brevem, sed nervosam, insignem & illustrem confessionem edidit: *Tu es Christus Filius ille Dei viventis.*

XVII. Ubi pronomen *Tu* designat Personam, nempe filium hominis; de quo interrogabat Christus. Deinde hunc Filium hominis *Christum* nominans Petrus, subindicat, illum esse unctum Spiritu sancto sine mensurâ, & quidem ad hoc, ut redimat genus humanum, ut sit Rex & Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech: quemadmodum olim Reges & Sacerdotes externo oleo inungi & ordinati ad suum munus consueverant. Tertiò, cum eum *Filium Dei* nominat, suam & condiscipulorum confessionem ab opinionibus v. 14. commemoratis, longissimè secernit, luculenter ac disertè indicans, se agnoscere Filium illum hominis, de quo quæstio sit, Filium Dei viventis, unum omninò Filium Dei & Hominis, atque nihilominus quidem genitum bis: Semel quidem ex Patre Deo vivente ab æterno; in temporis verò plenitudine ex matre homine. Quartò, hæc confessio semel atque iterum in historiâ Evangelicâ, ex ore Petri edita & repetita extat. Cùm enim Christus fuisset concionatus de manducatione carnis & bibitione sanguinis sui, Joh. 6. atque hoc offensi plerique desciscerent ab ipso, ille verò interrogaret Apostolos suos: *Num & vos vultis abire?* Respondisse scribitur Simon Petrus, v. 68. *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ habes: Et nos credimus, quod tu es Christus Filius Dei vivi.* Hanc confessionem à Petro editam adeò approbat Christus, ut eam non à carne & sanguine, id est, ex carnali sensu, dicta nine, iudicio vè humanæ rationis profectam, sed æterni Patris revelatione cœlitus patefactam asserat: imò confessioni huic, tanquam immoto fundamento superstructam ajet Ecclesiam suam: quandoquidem ea completatur summum caput doctrinæ Christianæ, in cuius agnitione cardo perpetuæ beatitudinis versetur. Confessus quippe erat Petrus Petram salutis, Filium Dei viventis, à quâ Petrà ipse Simon denominatus est Petrus, tanquam insignis confes-

ser

for atque testis Domini Jesu Christi, qui suæ Ecclesiæ Petra, rupis & fundamentum est: licet Pontificii, loco hoc nequiter abusi sint ad AntiChristianum suum Papatum & eminentiam Papalem inde adstruendam.

XII X. Quare (ut diximus) veram habuerunt Discipuli Domini fidem, licet adhuc infirmam, multarum sæpiùs dubitationum, carnaliumque tentationum procellis obnoxiam, nec non notitiam cum primis de officio Christi, & redemptione generis humani admodum confusam & rudem, assensumque nondum undiquaque confirmatum, & ἀμετάνοιαν factum: uti illa postea per singularem illam Spiritus sancti effusionem & donationem sunt subsecuta. Sciendum ergò est, quod fides justificans quoad notitiam potissimum sua habeat initia, & suos progressus: Et in initiis non nihil vel planè ignorat, vel non certò cognoscit, ac proinde non credit. Marc. 9. *Credo Domine, sed succurre tñ cōmissa incredulitati mee.* Interea qua ex parte credunt illi, fidem habent veram ac vivificam. Sic Paulus Rom. 14. eum, qui manducabat quosvis cibos, affirmat & prædicat habere fidem: Ergò necesse est alterum, qui à quibusdam cibis abstinerebat, fidem non habere: sed in illo duntaxat capite; Quare etiam Apostolus non negat illum habere fidem: sed vocat infirmum in fide. Idem dicendum de Apostolis, ante solennem illuminationem cum Christo versantibus, etiamsi non omnes crederent articulos fidei, quia nondum norant, tamen quos nòrant, credebant verà & justificante fide, ac proindè habebant fidem justificantem.

XIX. Non autem propterea stabilimus Pontificiorum figmentum de fide implicità. Quandoquidem hæc apud Papanos non est ea, quæ non credit, quod nescit: Sed ea fingitur esse, quæ credat, quod penitus ignorat. Quod fidei monstrum nos meritò deportandum dicimus in Anticyram. Fides enim vera nobis est tantum illa, quæ credit sibi revelata, licet quædam nondum revelata vel cognita ignoret. Et profectò hanc fidem veram esse, nunquam negavimus: sed à Paulo didicimus: *Si quid aliter sentitis, hoc quoque vobis Deus reteget, ad Philipp. 5.*

XX. Magdalenam quod attinet: Sanè altissimam illa habuit fiduciam, in unico hoc Salvatore recumbentem, atque in hoc solo sibi remissionem peccatorum & salutem repositam esse, credidit; Sicque omninò Fidei justificantis talem habuit actum, qualem Lutherani requirunt: Signa enim lacrymarum & alia, indicant tum eam verè conversam fuisse, tum etiam non vulgarem Christi notitiam habuisse, quod per eum peccata condonentur, hominesque DEO reconcilientur ac justificentur ad æternam vitam: ob hanc enim fidei radicem in Christo fixam, probantur hi fructus: quod primò lavit: deinde exterfit: postremò inunxit; & tandem tam gratiosè à Salvatore dimissa est.

XXI. Falsum ergò est commentum Becani, Magdalenam non potuisse sibi persuadere, remissa sibi esse peccata; & habere Deum Patrem propitium propter mortem Christi. Ut autem hoc falsum; Sic etiam ratio nondum est probata: Quod nihil sciverit de morte Christi. Nulla enim est consequentia: Discipuli illam non credebant futuram: Ergò neque hæc Magdalena. Quandoquidem non defuerunt, Apostolis ante solennem illuminationem, quoad notitiam Christi ac fiduciam, superiores. Nam Matth. 8. v. 10. de Centurione inquit Salvator: *Tantam fidem non inveni in Israël.* Et licet hunc modum liberandi genus humanum, nempe per passionem & mortem sibi Apostoli persuadere non potuerint: ipsum nihilominus fore liberatorem generis humani, idque à morte æternâ, ac à potestate Satanæ liberaturum esse, & sic caput serpentis contriturum, & opera Diaboli destructurum, confusè sciebant, atque in ipsum unice suam fiduciam ponendam esse credebant, ut id jam modò probavimus & declaravimus.

XXII. Dehinc progreditur Becanus ad objectiones Calvinistarum, & initio §. 14. quæ Pontificiorum, de modo justificandi sit sententia, exponit & præmittit, ita scribens: *Catholici docent, non solam fidem, sed præterea timorem, spem, contritionem & dilectionem justificare, id est, ad justificationem disponere.* Sensus est,
hemi-

hominem impium non posse justificari, id est, justitiam inherere & remissionem peccatorum consequi, nisi per praevias dispositiones, quae sunt actus fidei, timoris, spei, contritionis, dilectionis. Non, quod huiusmodi actus coram Deo mereantur remissionem peccatorum, & justitiae infusionem, in quibus justificatio consistit, alioqui non justificaremur gratis: sed quod Deus decreverit non remittere peccata, nec infundere gratiam justificantem, nisi homo per eiusmodi actus supernaturales sit dispositus & preparatus. Hoc ideo explico, ut facilius appareat, quam inanes sint haereticorum contra nos objectiones.

XXIII. Hanc esse sententiam Pontificiorum, non semel audivimus: Quoties verò à Becano illa inculcatur, toties à nobis rejicitur. Concedimus quidem fidem justificantem non esse posse sine operibus; negamus verò illam propterea cum operibus, timore, spe, contritione & dilectione justificare, vel ad justificationem præparare. Quandoquidem id nobiscum negat S. Scriptura, & expressis verbis & manifestis exemplis. Paulus enim studiosè sumfisse videtur exemplum Justificationis Abrahæ, non quidem primùm ex Chaldaicâ Idolomania vocati, sed jam per decem ferè annos per fidem Deo & agendo & patiendo obedientis; *Hebr. 11. v. 8.* Ubi sanè fides Abrahæ non fuit sola, sed secum habuit chorum multarum pulcherrimarum virtutum: & nihilominus Apostolus, postquam ex Mose quæstionem posuit: *Quare & quomodo Abraham tunc in illo virtutum & bonorum operum flore ac indefesso studio, justus apud Deum fuerit;* respondet τὸ μὴ ἐργάζομαι: *ei, qui non operatur, credit autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam.* Ubi quidem exclusiva non ipsam præsentiam operum excludit; hoc ipsum tamen excludit, quod nos contra Pontificios urgemus: quòd opera bona Abrahæ neque sint meritum, neque causa, neque pars, neque medium, Justificationis Abrahæ: ut sic intelligatur Abrahamus etià tunc, cum haberet plurima & præstantissima opera bona, coram Deo justificari ac salvari sine operibus.

XXIV. Sic non desunt exempla justificatorum solâ fide absentibus quoque operibus. Abraham constitutus adhuc in Idololatria, *Josue 24. v. 2.* Paulus in ipso actu persecutionis

planè nihil habuerunt operum revera bonorum: quæritur ergò: quomodo fuerint justificati? Sic David antea justificatus, rapiens alienam uxorem amisit fidem, Spiritum sanctum, justitiam, salutem & quicquid habuit bonorum operum *Ezech. 33. v. 13.* quæritur ergò rursus, quomodo conversus ad Deum; & quâ re fuerit justus ac salvus coram Deo.

XXV. Habent quidem Pontificii, quod respondeant, distinguentes inter distinctos gradus conversionis; Exclusionem igitur restringunt tantum ad primum gradum: in secundo requirunt sanctificationes: & in tertio gradu ponunt meritum condigni. Sed somnia hæc sunt matè dormientis Papani. De gradibus istis nihil scit neque Paulus, neque universa Scriptura. Paulus in omnibus locis, in quibus agit de Justificatione, unicum simpliciter tradit modum justificationis ac salvationis Gentium & Judæorum: in primâ Galatarum conversione post lapsum, & Abrahæ in ipso flore ac plenario exercitio bonorum operum: & pronunciat Abrahamum justum reperiri coram Deo, & salvari, sine operibus, fide, gratis, propter semen promissum: idque non tantum tunc, uti diximus, quando primum ex Idololatriâ vocatur, ac planè nulla habet bona opera: sed etiam tunc, quando multis pulcherrimis virtutibus ac operibus ornatus est, eodem modo justus & salvus est ac pronunciat sine operibus, fide, gratis, propter mediatorem.

XXVI. Correctio ergò & restrictio à Becano addita his verbis: *Non quod hujusmodi actus coram Deo mereantur remissionem peccatorum &c.* intelligenda est de Justificatione primâ, & sic primo ejus gradu. Sed ex dictis planum est, quod sacra Scriptura non duas, sed simpliciter unam agnoscat justificationem, quam nos tutò sequimur cum Luthero scribente in *cap. 5. ad Galatas, Fides perpetuò sola justificat & vivificat: & tamen non manet sola; id est, otiosa: Non quod non sola in suo gradu & officio maneat, quia perpetuò sola justificat: sed non est & manet sola vel sine charitate &c.*

XXVII. Tandem falsum est, quod observandum ac tenendum monet Becanus, *Deum decrevisse non remittere peccata, nec infundere gratiam justificantem, nisi homo per ejusmodi actus supernaturales sit dispositus & preparatus.* Falsum hoc est, inquam: Sine Scripturâ loquitur, sed instar araneæ ex se fingit ac nobis obtrudit Jesui-

Jesuita : Nullam ergò fidem meretur. Evolvatur tota Scriptura, & palàm erit, nullibi decrevisse Deum, se velle infundere gratiam justificantem, & ita hominem impium justificare. Quod etiam nos semel monere voluimus, ut in progressu pateat, quàm inanes, inutiles ac futiles Becani sint reprehensiones.

XXIIX. His ita præmissis se confert Becanus §. 15. ad primam objectionem : *Primum ergò, inquit, objiciunt illud ad Romanos 3. Arbitramur hominibus justificari per fidem sine operibus Legis. Et Eph. 2. v. 5. Salvati estis per fidem, non ex operibus. Hinc concludunt, solâ fide hominem justificari. Quare? quia Apostolus fidem opponit operibus: Ergo cum dicit, hominem justificari fide sine operibus, excludit omnia opera præter fidem, ergo etiam excludit actum timoris, spei, dilectionis, & pœnitentiae. Respondeo. Duplicia sunt opera; alia præcedunt fidem, alia sequuntur. Priora excludit Apostolus; non posteriora. Cum ergo actus timoris, spei, dilectionis & pœnitentiae sequantur fidem, & in fide fundati sint; certum est, non excludi. Queres: Unde constat, hanc esse mentem Apostoli? Respondeo: Inde constat, quia vult ostendere, nec Judæos ex nudâ observatione Legis Mosaiticæ; nec gentiles propter bona opera ante Christi fidem susceptam perpetrata, justitiam à Deo consequi potuisse, aut consecutos esse, sed ex fide in Christum, fidem esse initium salutis & justificationis, nec dari ex operibus præcedentibus, sed esse donum Dei. Vide Augustinum libro de prædestinat. Sanctorum capite 7. & in præfatione Psalmi 31. & alibi.*

XXIX. Respondemus primùm distinctiones operum in præcedentia fidem & subsequencia non solvere argumentum, ex verbis Apostoli Pauli formatum. Quandoquidem negatio operum Paulina non est particularis sed Universalis, nempe hominẽ justificari per fidem, non sine aliquibus, sed simpliciter sine operibus. Item per fidem non ex operibus, nempe ex operibus propriè dictis, ut interpretatur Augustinus loco per Becanum allegato lib. 1. de prædest. Sanctor. c. 7 Unde sic argumentamur: Omnia opera propriè dicta ab Apostolo ex justificationis actu excluduntur: Atqui non tantùm opera præcedentia justificatione, sed etiã illa consequentia, sunt opera propriè sic dicta: Ergò ab Apostolo à justificationis actu excluduntur. Major est ipsa Augustini interpretatio. Minor probata jam est: quia Apostolus fidem & opera simpliciter opponit; hæcquæ ex causis justificationis excludit, ut illa sola relinquatur.

30. Quæ

XXX. Quæ etiam est consequentia; Paulus in hâc disputatione vult demonstrare, neque Ethnicos per opera præcedentia fidem, neque Judæos justificatos esse: Ergò necesse est, ut v. 20. dictum Paulinum, *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro in conspectu Dei*, vel etiam alterum v. 28. intelligatur de operibus ante fidem collatam? Sane nulla est. Perinde est, ac si quæstio esset de Germanorum equis, an sint homines: Ego verò negarem additâ ratione, quia nullus equus est homo; Alius autem vellet persuadere tertium, me loqui in meâ universalis propositione de equis Germanorum, ideoque illos tantùm negare homines, non verò & Gallorum, Hispanorum &c. & sic universaliter omnes. Stultus sanè ita exciperet. Sic maxima est stultitia concludere: Paulus loquitur de bonis operibus ante fidem factis, quod nonificent: Ergò ejus universalis propositio, quâ illud probat, vel etiam negat, tantùm est particularis; Falsissimum hoc est, & contra omnem Logicam: Nam particularis affirmatio non fortiùs potest negari, quàm per universalem negativam: Ergò hæc affirmativa: *Quadam opera, nempe præcedentia fidem, justificando*: verè negatur per ejus contradicentem: *Nulla bona opera justificant*. Quare Apostolus Paulus ut fortiter negaret & refutaret illam particularem; *Opera ante fidem justificare*; ei opposuit hanc contradictoriam, *nulla opera justificare*, & eandem demonstravit.

XXXI. Deinde negamus hunc esse scopum Apostoli, velle nimirum ostendere, nec Judæos ex nudâ observatione Legis Mosaicæ, nec gentiles propter bona opera ante Christi fidem susceptam perpetrata, justitiam à Deo consequi potuisse, aut consecutos esse &c. Monstret nobis hanc propositionem in totâ hâc Pauli Epistolâ. Non potest. Sic argumentamur: Illa est propositio ac thesis ab autore proposita, & ad illam probandam adducuntur omnia argumenta, quæ postea inferrur & concluditur: Atqui jam non illa posita à Becano, ab Apostolo infertur & concluditur, sed hæc ipsa: *Omnis homo fide justificatur absq; operibus legis*. Sic enim concludit v. 28. λογίζομεθα δὲ ἐν πίστι δικαιοσύνη ἀνθρώπων, Colligimus igitur fide justificari hominem absq; operibus Legis. Hæc igitur est thesis ad probandum ab Apostolo proposita, & nulla alia.

32. Hanc

XXXII. Hanc verò probat per inductionem totius generis humani : quod Apostolus more suo dividit in Judæos & gentes, sive in circumcissionem sive circumcisos, & præputium, sive incircumcisos : Hos omnes, & sic omnes homines, peccato esse obnoxios docet vers. 9. Idque probat argumento sine discrimine omnes homines tangente, nempe *quod non sit justus ne unus quidem &c.* Ut autem omnes simpliciter homines injustos pronunciavit ; Sic porro docet, quod ex operibus legis non justificetur omnis caro in conspectu DEI, additâ propriâ actione legis, nempe quod per legem sit argutio peccati. vers. 20. Hinc argumentamur hunc in modum : Qui ita negat legis opus esse causam justificationis ; ut simul addat, quid propriè lex in homine præstet ac operetur ; is negat simpliciter ac universaliter opus legis esse causam justificationis : Atqui Paulus ita negat legis opus esse causam justificationis ; ut simul expressè addat, quid propriè lex in homine operetur : Ergo Paulus simpliciter ac universaliter negat opus legis esse causam justificationis.

XXXIII. Major est certa. Nam Paulus postquam asseruerat, quid lex in homine non faceret, statim subdidit veram legis in homine operationem, in nullum profectò alium finem, quàm, ut intelligeremus, quid lex nullo modo faceret, & quid deinde omni modo faceret, proindeque quod assertio Paulina opera legis ex causis justificationis-excludens, simpliciter & sine ulla exceptione acceptanda sit. Minor est ipse textus Paulinus : Ergo etiam Conclusio est Apostoli mens & sententia.

XXXIV. Ex his simul liquet, quod Paulus neque Judæos neque Gentiles consideret respectu operum, secundum legem naturæ vel Mosis præstitorum ; Sed solummodo quod utrique, & sic omnes homines, sint peccatores, ideoque ut reconcilientur DEO, justificatione opus habeant : Ergo homines omnes considerat sine ullâ vel præcedente vel subsequente Justitiâ operum, sed simpliciter, quatenus sunt peccatores, & carent justitiâ, quâ justii in conspectu DEI esse possint. Hanc

C

ergo

ergò justitiam quomodo acquirere possint, porrò monstravit, nempe nullo modo ex operibus Legis, sed ex unicâ ac solâ fide: Ergò rursus simpliciter omnia opera excluduntur.

XXXV. Nullâ igitur ratione probari in specie poterit ex textu Paulino per opera legis Mosis, non ingredientia Justificationem Judæorum, tantum intelligi opera præcedentia Justificationem; cum absolutè ac simpliciter de Judæis & ipsorum justificatione loquens dicat: *An Judæorum Deus ratum, an non & Gentium? Certè & Gentium.* Quandoquidem unus DEUS, qui justificabit circumcisionem, hoc est, Judæos circumcisos, per fidem, & præputium, hoc est, Gentiles incircumcisos sive præputium habentes, per fidem: Ergò Judæus simpliciter per solam fidem sine ullis operibus sive præcedentibus, sive subsequentibus fidem, justificari docet Apostolus. Quod etiam expressè habetur in Propositione Pauli, quæ extat vers. 20. *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro in conspectu ejus; Hæc enim æquipollet huic: Nulla caro ex operibus legis justificabitur in conspectu Dei.* Si ergò nulla caro ex operibus legis justificatur: Ergò neque illa caro, quæ post acceptam fidem bona opera facit, per illa justificabitur. Quod tam clarum est, ut qui negare velit, oportet impudentem Jesuitam esse.

XXXVI. Tandem confirmatur illud ipsum exemplo Abrahæ, quod sequente cap. 4. Apostolus Paulus ad illustrandum ac probandum ea, quæ de justificatione fidei hoc tertio capite proposuerat, adducit, & expressè asserit, *Abrahamum non ex operibus justificatum esse*, adeò ut vel esimium illud & noviter à DEO mandatum circumcisionis opus ad illius justificationem planè nihil fecerit, vel adjuverit. Quo apodicticè refellitur Jesuitarum opinio de operibus Legis præcedentibus justificationem Judæorum: quod illa solùm excludantur, non autem cætera.

XXXVII. Quandoquidem hoc opus non præcedebat fidem Abrahæ, sed sequebatur: quippe qui in prima statim vocatione sua ex Ur Chaldæorum fidem in DEUM concepit, atque ex ea fide (ut *Hebr. ii. v. 8.* legitur) DEO vocanti obedivit:
Circum

Circumcisionem verò accepit demum *Genes. 17.* ideoq; multis annis ante justificatus fuit, ut legitur in *cap. 15. Genes.* quod testimonium hic *cap. 4. ad Rom.* ab Apostolo allegatur, eoq; demonstratur, quod justificatio Abrahamæ etiam tum sine ullis operibus peracta sit: Nam etiam per hæc opera nequaquam intelligi possunt opera fidem tantum præcedentia, cum & hoc tempus præcesserit vocatio ex Ur Chaldæorum.

XXXVIII. Et cum primis de circumcisione benè notanda sunt verba Apostoli, finem docentia, in quem circumcisio Abrahamo data fuerit. *Et (inquit Apostolus) signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei.* Solebant Judæi magnâ contentione urgere circumcisionem, quam Abraham à DEO accepisset: indeq; duo concludebant, 1. Justitiam Abraham consistere in observatione circumcisionis: 2. Indequerurus inferebant Gentes Abrahamæ justitiæ participes fieri non posse, cum non circumciderentur. Quid autem Paulus? In os ipsis contradicit, & ex temporis circumstantia falsam istam opinionem potenter refellit: concedendo quidem, Abrahamum à DEO accepisse circumcisionem, sed negando, illi per ipsam collatam esse justitiam, cum in eum finem non data fuerit, sed potius ut signaculum esset illius justitiæ fidei, ac sic justificationis ex fide, quam jam ante obtinuerat non circumcisus & solidam & perfectam in præputio, ut Moses testatur. Atque inde efficacissimè infert, Circumcisionem nequaquam constitui posse causam vel justitiæ vel justificationis Abrahami, quæ dudum præcesserat. Ne autem quis inde suspicaretur, nihil utilitatis ex circumcisione redundasse ad Abrahamum, sed frustra à DEO datam fuisse, pergit Paulus, & finem ac utilitatem ejus monstrat: nimirum licet non fuerit vel pars vel complementum justificationis sive justitiæ illius, fuisse tamen *sigillum sive obfignationem illius justitiæ, antea per fidem acquisitæ.* Cætera videantur apud Apostolum. Sufficit nobis, quòd ex illis testimoniis simul ac exemplis liquidò constet, Justificationem nostram salvificam & coram Deo valentem fieri sine ullis operibus, sive illa fidem præcedant, sive consequantur.

XXXIX. Quod attinet locum ad Ephesios, ille tam evidens est, ut contra ipsum nihil excipi queat. Quandoquidem ibi omnes justificationis causæ explicantur: & collocatur Justitia nostra in sola DEI gratia & merito Christi, per fidem apprehenso: & omnia eò diriguntur, ut ab hominis peccatoris justificatione operum respectus simpliciter arceatur. Nam 1. quoties repetit Paulus: *Gratiã servati estis*, toties arguit, operum nullum in salutis & justificationis negotio esse locum. 2. Ne autem quis existimet, per *gratiã* intelligi habitus infusos, sed gratuitum DEI favorem, illam per voces æquipollentes explicat Apostolus, nempe eam vocans *misericordiam DEI, dilectionem DEI, quã nos in peccatis mortuos dilexerit*. 3. non solum implicite opera à justificatione removel, sed quoque explicitè scribit dicto allegato v. 8. *Non ex operibus*.

XL. Sed repetit Jesuita suum coccyssum, *intelligi opera fidem precedentia*. Sed hoc fingitur à Jesuita, negatur ab Apostolo: qui sine exceptione opera excludit indeterminate, nunquam determinate, ut opera ista particularia dumtaxat removeantur: atque id non tantum hoc loco, sed ubique, quando de negotio Justificationis agit. Ut Rom. 3. v. 20. *Ex operibus Legis non justificabitur omnis caro in conspectu Dei*: quem jam allegavimus. Item Rom. 4. v. 6. *Deus imputat justitiam sine operibus*. Ubi definitur modus, quomodo DEUS justificet, & ex eo excludit opera. Ergo omnia opera. Sic Rom. 11. v. 6. ubi ita argumentatur: *Si justificatio nostra ex gratiã, jam non ex operibus: aliã gratiã non esset gratiã: si ex operibus, jam non ex gratiã; aliã opus non esset opus*. Quid clarius? Ad Galat. 2, 16. *Scimus non justificari hominem ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi: & nos in Christum Jesum credimus, ut justificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis: propterea quod non justificabitur ex operibus legis omnis caro*. Entergemina operum exactu justificationis exclusio, & quidem ita ut nullum excipiatur præter fides. Gal. 3. v. 5. 6. & seqq. tantum & unica fides urgetur. 2. Tim. 1. v. 9. opera nostra, & gratiam Dei opponit. Et Tit. 3. v. 5. opera nostra & misericordiam Dei: *Non ex operibus, quæ faciebamus*

mus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit. Quibus dictis omnibus opera in universum omnia à toto opere salutis, cum in justificatione, tum in salvatione sive beatificatione, ut nominat ex Davide Paulus, excluduntur, non quidem ut in homine non adsint, sed ne ad justitiam vel salutem, nostram constituendam requirantur.

XLI. Augustinus locis allegatis nobis non contradicit. Nam et si libro de *predest. Sanctorum cap. 7.* fidem opus nominet ex *Job. 6. v. 29.* addit tamen, in negotio justificationis hanc cæteris operibus omnibus ab Apostolo Paulo opponi & contradistingui, ut in duobus regnis Ebræorum distinguitur Judas ab Israel, cum & ipse Judas sit Israel: Quo sanè manifestè docet, quod sola fides, non ita cætera opera, ad justificationem pertineant; cum hæc se habeat, ut Judas, Israel, altero regno Judæorum contradistinctus, non cum illo conjunctus: Et hanc etiam ob causam in sequentibus cætera opera respectu fidei dicit opera propriè dicta; quæ à fidè proficiantur, ut justificati per fidem in operibus illis justè vivant: idq; illustrat exemplo Cornelii *Act. 10.* quod videatur quidem is bona opera fecisse ante fidem, quando dedit eleemosynas & ad Deum oravit; *sed tamen,* inquit Augustinus, *nec sine fide donabat, nec orabat.* Mens itaq; Augustini est. Quod fides quidem in se considerata sit opus, ut cætera opera, sed ut ingreditur actum justificationis, non ita ut cætera, propriè opus sit: quodq; nemo possit facere opus bonum Deo gratum, nisi prius sit ex fide justificatus: cum bona, hoc est, Deo placentia opera, non nisi ex fide sint. Quod ipsum & nos volumus, docemus, inculcamus & contra Jesuitas & omnes inferorum portas defendimus.

XLII. Sed, inquis, id videtur urgere Becanus, quod ibi expressè dicit Augustinus: *Ex fide autem: deò dicit justificari hominem, non ex operibus: quia ipsa prima datur, ea qua impetrantur cætera, quæ propriè opera nuncupantur, in quibus justè vivitur.* Illis enim verbis videtur Augustinus innuere distinctionem inter primam & secundam justificationem. Quod si concedamus; non tamen habet, quod vult Becanus. Nam sanctificatio etiam

quædam justificatio est; sed non illa, quæ nos justos coram Deo constituit: sed id efficit sola fides: quæ postea & cætera opera, à nobis proficiscentia, sanctificat, & sic quasi justificat, ut revera Evangelicè bona constituantur, justa censeantur, Deoq; placeant, cum defectus ipsorum merito & justitiâ Christi tegatur, sicq; homo in illis justè vivat, ut loquitur Augustinus. Nam justificato homine, justificata sunt omnia charitatis opera, & ideò placent. Idem de similibus Augustini dictis censendum.

XLIII. Pergit Becanus ad secundum nostrum argumentum §. 16. *Secundò, inquit, objiciunt ex eodem Apostolo, hominem justificari gratis, ac proinde solâ fide, sine ullis aliis operibus, Rom. 3. v. 24. Justificati gratis per gratiam ipsius. Respondeo: Justificatio dicitur gratuita, non quia sit solâ fide, sed propter alias tres causas. Primò, quia nec Judæi, nec gentiles merentur illam per opera fidem præcedentia, ut jam explicatum est. Secundò, quia quicquid conducit ad justificationem, gratuitum Dei donum est. Calvinus vult solam fidem conducere, nos etiam spem & charitatem: sed, ut fides non obstat, quo minus gratuita maneat justificatio; certè nec spes aut charitas obstat. Nam sicut fides est gratuitum Dei donum, ita etiam spes & charitas. Tertio, quia posito actu fidei, spei & charitatis, adhuc ex mera Dei liberalitate sequitur infusio gratiæ & peccatorum remissio. Licet enim aliqui putent, fidem de congruo mereri justificationem; omnes tamen sentiunt non mereri de condigno, ac proinde justificationem esse merè gratuitam.*

XLIV. Primum nostrum argumentum ita formari debet: Qui docet, nos ita gratis per gratiam Dei justificari, ut simul omnia opera in universum excludat; ille etiam renatorum opera excludit: At Paulus loco allegato Rom. 3. ita nos docet gratis per gratiam Dei justificari, ut simul omnia opera in universum excludat: Ergò Paulus loco allegato excludit quoque renatorum opera. Major probatur quoad prius membrum, quod gratis per gratiam Dei justificemur, versu allegato 24. Posterior pars, quod in universum omnia opera excludat, demonstratur v. 20. *ex operibus legis non judicabitur omnis caro in-*

con-

conspēctu ejus : id est, operibus legis nullus homo justificabitur in conspēctu Dei. Unde apodicticē sic argumentamur? Nullus homo justificatur operibus legis in conspēctu Dei: At renati sunt homines: Ergo nulli renati justificantur in conspēctu DEI.

XLV. Adde & hoc, quod phrasī hęc Paulinā *justificari gratis per gratiam ejus*, per se excludat omnia opera, sive sint renatorum, sive aliorum. Quod probatur ex *Rom. ii. v. 6.* ubi Apostolus per *gratię positionem*, in justificatione removet simpliciter alia omnia opera his verbis: *Si ex gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia.* Ergo quicumq; dicunt renatos justificari ex operibus, illi sibi contradicunt [vi hujus Paulinę sententię] ex gratiā facientes non gratiam: At Pontificiis dicunt renatos justificari ex operibus: Ergo Pontificiis sibi contradicunt ex gratiā facientes non gratiam.

XLVI. His argumentis ita ex sententiā Paulinā conclusis, liquet manifestō tres illas adductas à Becano causas nugatorias esse. Prima. Nam Paulus à negotio justificationis non tantūm excludit opera fidem præcedentia; sed simpliciter omnia.

XLVII. Secunda. Sunt quidem justificatorum & renatorum opera bona dona Dei, & gratuita dici possunt, cum Spiritus sanctus illa liberē in nobis operetur: ita tamen gratuita sunt censenda, ut nullum meritum illis tribuamus: illud autem, juxta mentem & argumentationē Apostoli illis tribuitur, quando cum gratiā justificante in actu justificationis conjunguntur sive confunduntur, quippe qui gratiam justificantem & opera opponit hoc modo: si justificatio nostra ex operibus, quòd tūm non sit ex gratiā. Quare ut ut etiam bona opera gratuita dona dicantur, nihilominus tamen non ita sunt gratia sive gratuita, ut in gratiā justificante includantur; cum ab Apostolo expressē excludantur.

XLIX. Est ergo manifesta fallacia æquivocationis in voce *gratia* & *gratuitum donum*: Sunt quidem bona opera gratia, sed non gratia justificans: Nam respectu hujus non sunt gratia. Deindē gratuitum Dei donum dici potest duplici respectu.
I. Respe-

1. Respectu termini à quo, hoc est, Spiritus sancti. 2. Respectu termini ad quem nempe acquirendi sive acquisiti: Respectu termini à quo, æquæ spes, charitas & cætera bona opera, quam fides, dici possunt dona Dei gratuita. Quandoquidem, ut diximus, liberè illa in nobis operatur Spiritus sanctus, & ex mera gratia. Si autem respectu ad quem, nempe iustificati, considerentur, maxima se exhibet diversitas. Nam ibi non quæritur, an bona opera sint dona Spiritus sancti gratuita; sed hoc in quæstione est: Si bonis operibus, tanquam causis, tribuatur iustificatio tanquam effectus, an tum iustificatio maneat gratuita, ita nimirum per bona opera acquisita & effecta. Hoc negat expressè Apostolus Paulus, opponendo in hoc negotio & causalitate fidem & opera, illi soli iustificationem tribuens, de his verò negans: idq; hanc ob causam. Nam apprehendere promissionem de remissione peccatorum, & in illa ipsum Christum & eius meritum, nec non applicare & facere ut nostrum sit, id solius fidei est, non charitatis, non spei, non pœnitentiæ, non ullius alterius operis. Atq; sic, quod aliàs dicimus, sola fides relativè nominari potest; hoc est, iustificare illam non simpliciter quia credimus, sed quia in Christum crucifixum, mortuum & resuscitatum credimus; nec tantum crucifixum, mortuum, resuscitatum; Sed pro nobis crucifixum, mortuum & resuscitatum. Hoc, inquam, neq; charitati, neq; spei, ut à fide distinguitur neq; pœnitentiæ, neq; alii ulli virtuti quit tribui; solius fidei proprium est.

XLIX. Nam tamen si mortem Christi supponant & cæteræ virtutes; tamen *tum* latius parent: Nam charitas non tantum versatur circa DEUM sed etiam proximum. Nam non tantum Christus, sed proximus quoq; amandus est: Et pœnitentia habet pro objecto recessum à quolibet peccato, & accessum ad quamlibet virtutem. Spes tantum futura bona complectitur: *tum* id ipsum per aliud nempe per fidem. Nam si charitas, pœnitentia, spes &c. sine fide sunt, nec per fidem sunt id, quod esse debent, nempe bona & Deo placentia opera, & per fidem Christum intuentur, nihil sunt. *Fides enim* (inquit Luthe-

Lutherus in Genes. cap. 25. mihi pag. 178. a.) *ceu mater est, ex quâ soboles illa virtutum nascitur. Hac nisi prima adsit, frustra queres illas. Hac nisi amplexa fuerit promissiones de Christo, non charitas, non alie virtutes aderunt, etsi earum simulacra hypocrite pingant ad tempus. Fidei igitur hoc unum operæ precium, propriè ac directè credere in Deum & Christum ejus. Quia ergò à DEO per Christum est Justificatio, & fides sola per se in DEUM & Christum fertur: Ideò sola fides justificat.*

L. Atque hoc est, quod Lutherus eruditè, piè ac orthodoxè scripsit loco jam allegato: *Profecto fides aliud nihil est, nec aliud potest, quàm assentiri promissioni. Si autem hic assensus reputatur pro justitia, cur insane Sophista asseris, dilectionem, spem & alias virtutes? Scio has esse insignia Dei dona divinitus mandata, & per Spiritum Sanctum in nostris cordibus excitari & ali; scio fidem sine his donis non existere: Sed nunc nobis questio est, quid cujusque proprium sit? Tenes manu varia semina, non autem quero ego, quæ cum quibus conjuncta sint, sed quæ cujusque propria virtus? Hic apertè dic, quid faciat sola fides, non cum quibus virtutibus conjuncta sit. Sola autem fides apprehendit promissionem, credit promittenti DEO, DEO porrigenti aliquid, admoveat manum & aliquid accipit. Hoc proprium solius fidei opus est. Charitas, Spes, Patientia, habent alias materias; circa quas versantur, habent alios limites, intra quos consistunt. Non enim amplectuntur promissionem, sed mandata exequuntur: Audiunt Deum mandantem & jubentem: non audiunt Deum promittentem. Id fides facit. Et mox: Sic ex fontibus hæc erant judicanda, non ex stultis Sophistarum opinionibus, qui cogitant sic: Ecce non satis est, si credas, oportet etiam ut benè opereris. Quasi verò nos statuamus, Deum tantum promittere, non etiam legem dare, & imponere certa officia. Sed cum Deus promittit, ibi ipse Deus nobiscum agit, nobis aliquid dat & offert: Cum autem per legem jubet, requirit aliquid à nobis, & vult ut nos aliquid faciamus. Retinenda igitur distinctio hæc est, quod fides, quæ agit cum DEO promittente, & ejus promissionem accipit, hæc sola justificat. Charitas autem, quæ agit cum DEO*

D.

jubente

jubente & mandante, ea mandata exequitur & paret DEO. Sicut autem promissio & lex; sic fides & charitas, sic finis fidei & charitatis est distinguendus, & pestilens illa glossa explodenda, de fide formatâ charitate, que charitati tribuit omnia fidei adimit omnia. Attendendum autem Scriptura Sancta est, qua abunde testatur, quod nemo possit satisfacere legi. Exigit lex, ut diligas Deum ex toto corde tuo, & proximum sicut te ipsum. Sed quis quaso est, qui hoc faciat? Nam etiam Sanctorum dilectio imperfecta est, & sæpè turbatur metu, sæpè diffidentia, sæpè impatientia in adversis. Vbi igitur manet tum fides formatâ charitate? Si enim te DEUS non habiturus est pro justo, nisi dilexeris eum ex toto corde, & prastiteris legem, nunquam justificaberis. Disce igitur justitia tribuere, non tua dilectioni, non tuis operibus & meritis. Hæc enim semper contaminata, imperfecta & polluta sunt, ideò requirunt confessionem indignitatis, & humiliationem cum deprecatione venia: Sed Soli misericordie, Soli promissioni de Christo, quam fides accipit, & se eam in judicio DEI contra conscientiam, tuetur & defendit. Et post pauca: Discernenda igitur est promissio à lege. Promissio requirit fidem, lex opera. Promissio certa & firma est, ac certò fit: quia Deus eam facit. Lex autem non fit, quia nos, qui eam facimus, sumus homines, hoc est, infirmi peccatores. Manifestum ergò est, quod malè argumentetur Becanus à fide ad cætera opera.

L I. Intertiâ causâ fallit Sophista eodem æquivocationis sophismate, in voce *gratium*. Si ita reverâ sentiat; cur ergò urget opera renatorum in secundâ, ipsis sic dicta, justificatione, tanquam meritoria. Sed statuat ita serio (quod tamen non facit) tum non quæstio est, quid ipse, sed quid Spiritus S. sentiat, expressè arguens: Sic justificatio est ex operibus; ergò non ex gratia: & si ex gratia, non ex operibus. Rom. ii. v. 6.

L II. Cæterum quæ §. 17. allegantur dicta, in præcedentibus sunt explicata, & glossæ Becani refutata. Vnicum peculiare habet, quod ad locum Luc. 8. v. 50. Crede tantum & salva eris: addit: Propter hunc locum gratulantur sibi multi Luthe-
mani.

mini, afferentes, se tandem invenisse particulam *SOLA*, quam Lutherus de suo addidit cap. 3. Rom. ut supra dictum est: Sed inaniter gloriantur: Non enim intelligitur locus iste de remissione peccatorum, Sed de excitatione puella mortua. Nec exigebat Christus fidem à puella, quam volebat excitare, sed à parente, qui pro suâ filiâ deprecabatur.

LIII. Primùm quàm verum sit, Lutherum de suo addidisse Rom. 3. p. articulam *SOLA*, id in præcedente disputatione est explicatum, demonstratum & refutatum. Deinde quod addit, se hoc nomine Lutheranis gratulari, quòd exclusivè hæc expressè reperiat in Scripturâ. Id meritò faciant. Eo enim magis magisq; ipsorum confirmatur fides, & Pontificiorum falsæ opiniones fortius refelluntur. Tertio, licet locus ille non ex professo agat de remissione peccatorum; tamen præsupponit eam: Vbi enim est tam firma fides, quæ Christum verè agnoscit, & in ipsum credit; ibi quoque est remissio peccatorum. Quarto, nihil ad rem, quod objicit, Christum exegisse fidem à Patre. Nam de hoc etiam dicitur, quòd crediderit, hinc à Christo fuit monitus, ut tantùm crederet & constans in fide maneret: ideoq; hic reverà fuit justificatus, & quidem fide tantùm.

LIV. Paragrapho ultimo nihil novi habet, nisi quod objiciat, ad Gal. 5. v. 6. Paulum non dicere, quòd fides sufficiat, sed requirat etiam Charitatem. Et quod Petrus Actor. 10. vers. 34. non fidei faciat mentionem, sed tantùm timoris & aliorum operum, quæ in fide fundantur, cum sic loquatur: In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum & operatur justitiam, acceptus est illi.

LV. Sed facilis est responsio: Falsum est Apostolum in priore dicto ad Justificationem requirere charitatē: quippe qui duntaxat Fidem ex charitate describit. Docet enim quod in Christi regno sola fides valeat, quæ filium DEI, pro hominibus peccatoribus crucifixum respicit & apprehendit, non verò ejusmodi fides, quæ stare possit cum peccandi studio &

abjuncta sit à charitate, sed quæ sit operosa per charitatem: & sic charitatem semper conjunctam habeat: quæ, tanquam infallibilis nota externa, veram & vivam fidem ab inani fidei gloriatione distinguat: atque sic quidem ut fides in justificatione coram DEO sola regnet; ad Christianismum verò sive fidei Christianæ professionem charitas quoq; requiratur.

LVI. In altero quoq; dicto Petrus describit justū sive justificatū non à formali causa sive ratione per quam justus est, & in quo originaliter & fundamentaliter cōplacentia Dei fundatur: sed à propriis affectionibus & effectis. Quandoquidem in duobus hisce membris, nempe Timore Dei & justitia, comprehenditur totius vitæ hominis justificati integritas. Nam *Timor Dei* nihil est aliud, quàm pietas & religio: *justitia* verò æquitas est, quam inter se homines colunt, caventes, ne cui noceant, studentes autem omnibus prodesse: haud secus ac lex ipsa [quæ benèvivendi regula est] duabus hisce partibus constat, & in istis duæ ejus tabulæ absolvuntur. Quare *Timere Deum & operari justitiam*, ut diximus, sunt effectus fidei, quibus justos & Deo placentes hic Petrus describit.

LVII. Si v. adhuc textū hunc morosius urgere velit Jesuita, quasi Petrus affirmet, opera favorē Dei conciliare; ad hoc ergò rectè explicandum, & opinionem Jesuitæ ex vero fundamento refutandum, sciendum est, duplicem esse DEI respectum in hominibus diligendis. Primus est, quando homo nondum est justificatus, proindeque adhuc filius iræ est, ut nascimur omnes, *Ephes. 2. vers. 3.* tum Deus adeò nihil amore suo in ipso reperit dignum, ut tota potius natura ad odium sui eum provocet: quâ ratione Paulus *Rom. 5. vers. 10.* *inimicos illi esse pronunciat omnes, donec reconcilientur per Christum.* Hæc ergò prior DEI acceptio, quâ hominem in gratiam recipit, ut merè gratuita est, sic nullum omninò opus respicit: quum omnia in homine vitiosa sint ac prava.

LVIIX. Deindè verò quando Deus hominem sibi adoptavit filium, tum eum quoque Spiritu suo sancto regenerat,

rat, suamque in illo imaginem reformat; unde secundus ille respectus oritur. Tum enim DEUS non amplius invenit hominem planè nudam, & omni gratiâ vacuum ac destitutum, ut antea, sed suum quoque in ipso opus, imò seipsum agnoscit, ac propterea etiam justificatum & in filium adoptatum acceptum habet & amat, quia piè & justè vivit.

LIX. Quandoquidem nunquam inficias ivimus, sanctorum & justificatorum, filiorumque Dei opera Deo grata esse. Sed aliud hic quæritur: *preveniatne homo gratiam Dei suo merito.* Et deinde, *an justificatus post justificationem operum merito Deo placeat.* Utrumque falsum esse dicimus. Nam docet nos Spiritus sanctus utrumque: Nempè quòd homo cum tantum odio dignus sit, gratis initio & sine operum respectu ametur: proptereaque Deus sibi ipsi causa sit, quod nos diligit, suaque misericordiâ, non nostris meritis, provocetur. Deinde post justificationem & regenerationem etiam si fideles cum bonis operibus & operum quoque respectu Deo placeant, nequaquam tamen sit illud operum illorum merito: cum illa semper vitii aliquid habeant admixtum, proindeque ex se potius digna sint, quæ respuantur. Quare precium operibus nequaquam constituit propria ipsorum dignitas, sed fides, quæ id, quod operum mundicie deest, à Christo mutuatur.

LVI. Quia autem homines (inter quos & Petrus se numerat hoc cap. v. 26.) fidem, proptereaque verè pios, justificados, ac Deo acceptos, non nisi ex operibus, ac cum primis, religione & pia ac honesta vita, cognoscunt & dijudicant (cum solus Deus judicet juxta misericordiam, verbum & promissionem suam) etiam Apostolus in hoc suo exordio judicare voluit juxta opera, nempè juxta id, quò quis *timet Deum & operatur justitiam*: in utroque fidem supponens. Nam *timere Deum* ipsi est, credere promissionibus ac minis Dei, & propterea ab impietate abhorrere: & *operari justitiam*, est, præceptis divinis & cum-

primis secundæ tabulæ, obsequi: utrumq; autem rursus ex fide. Nam sine fide vera & salvifica, illud quoq; credunt Diaboli, sed contremiscunt: hoc præstant & Turcæ & Ethnici; Deo verò non placent, neq; accepti sunt. Quare sensus verborum Petri est: Qui verâ fide præditus credit promissionibus divinis, ab iniquitate abhorret, & ex fide piam ac honestam vitam agit, acceptus est Deo, sive sit circumcissus, sive incircumcissus; sive mas, sive fœmina; sive servus sive Dominus: contra si veram fidem in Deum & Christum non habuerit, nec vitam piam ac honestam ex fide egerit; is Deo maximè abominabilis est, etiamsi fuerit circumcissus, mas, princeps, Dominus potentissimus. Atq; sic verbis, his Petri eximitur è gentibus scrupulus, qui torquebat ipsas, quòd non essent circumcissæ, nec agnoscerent legem Moïsi, adeoq; ab aliis Judæis judicarentur prorsus alieni ab hæreditate bonorum cælestium.

LX. Hoc licet in se planum ac manifestum sit: adhuc tamen mariticè illustratur 1. ex oraculi divini plenâ propositione, vers. 15. videlicet *eum hominem non esse immundum, quem Deus purificavit*: At Deus neminem purificat nisi per fidem: proinde & Judæi & Turcæ & omnes Ethnici, vel honestissimam præ se ferentes vitam, tantisper immundi reputantur, dum non credunt in Jesum Christum. 2. Deinde ex scopo oraculi & visionis significatione. Nam hoc sibi vult visio, gentes coram Deo, per fidem purificatas, recipiendas esse in communionem Evangelii, nec ob hanc causam rejiciendas, quòd legem Moïsi non agnoscant. 3. ex ipsa narratione Petri, exordio subjectâ, v. 36. & seqq. Ubi initio notetur, quòd in disputatione de religione, hæc summa & principalis moveri ac agitari soleat quæstio: *quibus rebus, quibus operibus possimus injusta expiare, ut justis & Deo accepti efficiamur*. Ac alia quidem religio aliud docet. Gentilium sacerdotes docebant Deos iratos super hominum peccata, placandos esse hecatombis, aliisque suorum sacrificiorum ritibus: Philosophi tradebant, Deum demerendum esse honestate vitæ: supersticiosi Judæi & Pha-

Pharisæi docebant Dei favorem ambiendum holocaustis & aliis id genus sacris. Petrus autem, in hoc ab Angelo ostensus Cornelio, ut veram pietatis rationem traderet, posthabitis omnibus illis doctrinis, narrat gentibus historiam de Jesu Christo, & docet, quod hæc sit vera justitia, probitas & sanctitas, credere in Jesum Christum, quod per hunc Deus nobis propitius factus sit, & peccata remittat: Hoc enim est, quod hanc suam narrationem concludat v. 43. *Huic etiam omnes Propheta testimonium ferunt, quod remissionem peccatorum accepturus sit per nomen ejus, quisquis crediderit in eum.* Vehementer ergo errat Beccanus, quod ex allegatis verbis Petri inhærentis justitiæ meritum stabiliri posse existimat.

F I N I S





*Honori Prestantissimi Literatissimiq; Dn.,
Respondentis, Amici mei.*

Quod Paulus toties inculcat voce sonorâ
Nos unam & solam justificare fidem:
Cur facit hoc vestro minùs, *Esavvita*; palato?
Cur adedè has horret *Romula Rana* dapes?
An quia vos *Tibris Latia* semel imbuit undâ,
Hinc *Israelis* ferre nequitis aquas?
Aut quia *coenosæ* deamatur rana paludi,
Debita de puro mors Tibi fonte venit?
Ite coaxantes sub stagna vel infera Ranae,
Ac vestrorum operum pascimini illi epulas!
Nos mera justificet miserentis gratia JESU,
Et beet è cœli fontibus hausta *fides*.
Illa fides, quam crena suæ *MARTINIA* luci
Afferit à fucis, fuce *BECA NE*, tuis.
POLTZIADE tantum contente sequare Magistrum,
Sic Te laude pari Fama sub astra vehet.

Faciebam

M. CHRISTOPH. BULÆUS.

99 A 6900

ULB Halle 3
002 622 092



SB

Repro

VD 77







29

I SECUNDI
n Confessionem

ATIO XIV.

tinens
ARTICULI IV.

ÆSTIONE

ODO SO-
JUSTIFICET.

opposita

cademiâ VVittebergenfi,

SIDE

ARTINI, SS. Th.

rimario, Facult. Theol.

pli Arcis Præposito:

NDENTE

NE POLTZIO,

rolinis - Bohemo.

itorio Collegii Veteris

m 13. Decembr.

EBERGÆ,

IS AVERBACH, Acad. Typogr.

DC XXIX.

